



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 111. Patris Laynesii Jesuitarum Præpositi oratio de Episcoporum  
institutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. „hæc quæstio vel bene, vel male deci-  
 A. C. 1562. „datur.„

Ceterum quidam ex Synodi Patribus, cum circa hoc argumentum nihil proposuissent, unice hucusque proposita discutere adlaborabant, nihil solliciti de iis, quæ in decretis, & Canonibus omittenda essent: illi vero, qui suffragia, numero erant centum octoginta, & unus, quorum quinquaginta tres Granatensis Archiepiscopi sententiæ adhærentes hæc verba: *Jure Divino decreto addi petebant*, alii vero pauci nonnisi ambiguis verbis sese desuper explicabant.

## §. CXI.

*Patris Laynesii Jesuitarum Præpositi oratio de Episcoporum institutione.*

*Pallav. c. 15.* In conventu die vigesima Octobris mane habito Pater Laynesius supremus Jesuitarum Præpositus ultra duas horas cum ingenti fervore hunc in modum declamabat: „Quatuor a me comprehendo; I. Quæstionem explicabo; II. meam sententiam exponam; „III. Confutabo argumenta, quæ a contrariæ opinionis defensoribus objectabantur; IV. demum sententiam meam comprobabo argumentis: Equidem „com-

„complures, ut hac de re verba face- Sæcul. XVI.  
 „rem, dissuadebant, ne assentatoris A.C. 1562.  
 „Pontificii calumniam incurrerem; non  
 „tamen idcirco censeo me ab obliga-  
 „tione defendendæ veritatis solutum:  
 „Deus mihi testis adest, Judex vivorum,  
 „& mortuorum, quod secundum con-  
 „scientiam loquar; nec unquam assen-  
 „tandi gratia verbum a me prolatum:  
 „ubi ter huic Synodo interfui, sub  
 „Paulo III. sub Julio III, & sub Pio IV.  
 „semper usus sum sinceritate loquendi,  
 „& nihilominus eadem usus in poste-  
 „rum, dum nulla mihi caussa suppe-  
 „tit aliter agendi, utpote nihil aut quæ-  
 „renti, aut speranti, aut metuenti: „

Postea quæstionem ingressus, dixit  
 præprimis: „ Illud est ex jure divino,  
 „quod Deus per seipsum proxime ef-  
 „ficat: e converso non dicitur descen-  
 „dens ex jure divino, quod idem per  
 „interpositas personas peragit: ita o-  
 „mnis lex a Deo procedit ex sapientiæ  
 „æternæ effato: *per me Reges regnant,*  
 „*& potentes iusta decernunt:* non tamen  
 „omnis lex juris divini appellatur: quin  
 „etiam non modo lex omnis, sed o-  
 „mnis etiam veritas, prout Ambro-  
 „sius scribit, a Spiritu Sancto provenit,  
 „nec tamen omnis veritas est juris di-  
 „vini: insuper, nec requiritur, nec satis  
 „est, ut mandatum quodpiam sit ex ju-  
 „re

„re

Sæcul. XVI. „re divino, quod in sacris literis illud  
 A. C. 1562. „contineatur. Idque non requiri, satis li-  
 „quet in materiis, formisque Sacramen-  
 „torum, non cunctis in sacra Scriptu-  
 „ra expressis, & tamen cunctis de jure  
 „divino stabilitis, porro idem non satis  
 „esseprehenditur ex decreto Con-  
 „cilii Jerosolymitani, ubi Apostoli inter-  
 „dicebant, ne sanguis, aut animal suffo-  
 „catum comedatur, quæ prohibitio ex-  
 „tat in Actis Apostolorum, cap. 15. v. 28.  
 „& 29. nec tamen ea est de jure divi-  
 „no; cum alias, etiam in præsentia vim  
 „haberet: quamvis vero ibi narretur di-  
 „ctum ab Apostolis, *Visum est Spiritui*  
 „*Sancto, & nobis*; non tamen signifi-  
 „catur, eam S. Spiritus legem fuisse,  
 „sed S. Spiritus afflatu constitutam.

Postea plura alia ejusdem generis  
 attulit exempla, atque ad potestatem  
 Ecclesiasticam transitum faciens duo il-  
 lius genera distinxit, „quarum una in-  
 „quiebat, id perficit virtute Sacramen-  
 „torum absque alio adjumento: altera  
 „vero per anathemata, aliasque confi-  
 „tutiones id præstat: porro prior est  
 „Ordinis potestas, quæ per consecratio-  
 „nem imprimitur, atque instituta per-  
 „se est ad sanctitatem aliis rebus imper-  
 „tendam, quantum id animarum san-  
 „ctitati opus est: posterior vero est  
 „jurisdictionis potestas, atque hæc non  
 „infun-

„infunditur per consecrationem, sed per  
 „simplicem collationem, adeoque com-  
 „municari potest cuivis Clerico minori,  
 „& etiam homini laico: Utraque ta-  
 men hæc potestas, cum ad cœlum ten-  
 dat, a cœlo provenit, sicuti necesse est, ut  
 aqua ex tam alto descendat, quam al-  
 te ascendit, sed inter se discrepant  
 hæ potestates variis proprietatibus; po-  
 testas enim Ordinis infunditur non ho-  
 minis voluntate, sed definitis pactis-  
 que a Deo modis, ut ita patefieret, eam  
 esse divinam, in potestate autem juris-  
 dictionis nullus est ritus a Deo decre-  
 tus, quapropter illa communicatur  
 pro arbitrio humani superioris.

His præmissis suam sententiam his  
 verbis exposuit: Ordinis Episcopalis po-  
 testas est a Deo proxime in singulis  
 hominibus, Jurisdictionis vero potestas  
 est a Deo proxime data quibusdam par-  
 ticularibus, veluti Divo Petro, ac ejus  
 successoribus, necnon cunctis Apostolis  
 ex peculiari privilegio, in reliquis au-  
 tem, veluti in Episcopis peculiaribus,  
 ea dimanat per interpositam a Deo  
 personam, qualis est Romanus Ponti-  
 fex, in quo, quamdiu is in Pon-  
 tificatu perseverat, jurisdictio est inva-  
 riabilis, quemadmodum etiam in Apo-  
 stolis, in Episcopis autem variari potest,  
 & mutari a summo Pontifice, quamvis

*Hist. Eccles. Tom. XLV.* G g id

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1562.

Sæcul. XVI. id non ex mera voluntate, sed ex causa  
AC. 1562. sa legitima fieri valeat.

His addidit, quod hæc verba *Papæ*  
*oves meas* dicta quidem fuerint omnibus  
 Apostolis, repræsentatis tamen in solo  
 Divo Petro, qui cum totum gregem so-  
 lus pascere non potuerit, aliorum Apo-  
 stolorum ministerio indiguit. Itaque  
 Petrus ejusque successores fuere princi-  
 pale fundamentum, super quod Christus  
 Dominus ædificavit Ecclesiam suam,  
 juxta illa verba: *Tu es Petrus & super*  
*hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (\*).  
 Hanc vero petram, licet aliqui ex Pe-  
 tribus Christum ipsum intellexerint, alii  
 autem fidem in ipsum, aut fidei con-  
 fessionem, est tamen magis Catholica  
 expositio, si intelligatur ipse Petrus, qui  
 Hebræo aut Syriaco sermone dictus est  
*Kipha*, seu *Cephas*, id est Petrus. E-  
 quidem Christus, cum in hac vita mor-  
 tali esset, Ecclesiam rexit supremo, &  
 Monarchico regimine, relicto autem  
 hoc sæculo eandem regiminis formam  
 dimisit, constituto sibi Vicario Divo Pe-  
 tro, & Successoribus ejus, quibus ad  
 Ecclesiam administrandam dedit ple-  
 nam & integram potestatem, ac juris-  
 dictio-

(\*) Subsequentia verba Continuator ex  
 suo Sarpio descripsit, de quibus tamen Pallavicinus  
 nullam omnino mentionem facit.

dictionem, ita, ut Ecclesia eis subjecta Sæcul. XVI.  
A.C. 1662.  
esset ad eum modum, quo subjecta erat  
divinæ Majestati; soli enim Petro da-  
tæ sunt claves Regni cœlorum, proin e-  
tiam ad illud introducendi, & excludendi  
potestas, quæ est jurisdictio: insuper  
ei soli dictum, *Pasce*, id est, rege oves  
meas, quæ tamen nec partem, nec ar-  
bitrium ullum habent in sui regimine,  
cum autem ista, esse clavigerum, & Pa-  
storem, sint officia perpetua, necesse fuit,  
ut in perpetuam personam necessario  
sint collata, hoc est, non solum in pri-  
mum, verum etiam in totam successio-  
nem propagata, adeoque Romanus Pon-  
tifex inde a Divo Petro initio factò,  
usque ad finem sæculi, verus est & ab-  
solutus Monarcha, cum plena & omni-  
moda potestate, ac jurisdictione, atque  
Ecclesia nunc ipsi, perinde sicut ali-  
quando subjecta fuit Christo, pariter sit  
subdita.

Verum haud obscure colligitur, quod  
hæc Patris Laynesii opinio sanæ Theo-  
logiæ adversetur (\*). Nihilominus i-  
dem

(\*) Melius fecisset Continuator, si hæc a  
Sarpio conficta vel non descripsisset, vel ad-  
didisset: hæc Gallicæ Theologiæ adver-  
sari. Pallavicinus autem subjungit: *Hoc est  
exemplar, quod Laynius in eo conventu ad-*  
Gg 2 *umbra-*

Sæcul. XVI. dem postea adversas rationes refellere

A.C. 1562

aggressus, inter alia hæc subjunct:  
 „juxta Ordinem a Christo institutum,  
 „Apostoli debuerunt ordinari in Episcopos  
 „non a Christo, sed a Divo Petro  
 „jurisdictionem ab ipso solo accipientes,  
 „idque ita factum multi etiam Do-  
 „ctores catholici tenent, quam opi-  
 „nionem valde probabilem esse censent.  
 „alii tamen docent, Apostolos ordina-  
 „tos fuisse in Episcopos a Christo, ve-  
 „rum adjungunt, Christum Dominum  
 „hoc facto prævenisse officium Petri, &  
 „pro ea vice fecisse, quod ad ipsum per-  
 „tinebat, eam potestatem Apostolis  
 „conferendo, quam a Petro accipere  
 „debebant, in eundem prorsus modum,  
 „sicuti Deus de Spiritu Moyfis accepit,  
 „eumque septuaginta judicibus imper-  
 „titus est. Itaque perinde fuit, ac si  
 „a Divo Petro essent ordinati, & ab ipso  
 „totam auctoritatem accepissent, ideo  
 „Petro subditi fuere, quoad locum  
 „modumque auctoritatis ejus exercen-  
 „dæ. Quod si non legatur, Petrum  
 „eos

---

*umbravit calamo, & quod vividius coloravit  
 lingua. Et quamvis exemplar, quod illi Swe-  
 vis tribuit aliud omnino, satis pulchra continet  
 dona tamen ab inimicis accipere, honestum non  
 est, & ipsa pulchritudo ubi mendax est, foeditatem  
 affert historiæ.*



„eos correxisse, id non accidit defectu Sæcul. XVI.  
 „potestatis, sed quoniam recte munere A. C. 1562.  
 „suo fuerint perfuncti: porro qui lege-  
 „rit celebratum illum, nobilemque Ca-  
 „nonem, *Ita Dominus*, non dubitabit, Can. 7. dist. 19  
 „quin ita tenere debeat quisque catho-  
 „licus, ac credere, Episcopos, qui sunt  
 „Apostolorum successores, eam omnem  
 „potestatem accipere a successore Pe-  
 „tri. „

Postea impugnat sententiam illo-  
 rum, qui affirmabant, quod summus  
 Pontifex suam Episcopis jurisdictionem  
 auferendi potestate careat, eoquod hæc  
 illis data esset a Christo, proin dunta-  
 xat illis interdiceret valeat illius exer-  
 citium, quod ab ipso Christo non deri-  
 vatur. Denique concludit, hanc lo-  
 quendi rationem, qua dicitur, quod  
 Summus Pontifex solam jurisdictionis  
 Episcopalis materiam præbeat, ejus ve-  
 ro origo a Christo Domino proveniat,  
 esse novam, nec Doctorum probationi-  
 bus usurpatam, ac proinde uti pericu-  
 losam esse vitandam.

§. CXII.

*Hæc oratio pro diversis Patrum  
 studiis excepta.*

**H**aud ægre quis sibi persuadere po- Sarp. p. 597.  
 terit, quod hæc oratio gratissimis Et 598.  
 omnino auribus excepta fuerit ab Ul-

G g 3 tramon-